

constit. 35. considerata, concedendi illis exemptionem, censuit expedire, ut Sanctissimus declaret, ita esse intelligendam dictam constitutionem ut Subcollector res, terminato officio, non gaudeant amplius exemptione, defuncto, vel aliis deficiente Ordinario, in cuius tempore exercebant. Sicuti etiam declaravit, illos qui licet in Subcollectores deputati fuerint, numquam exercebant, minime gaudere; nec pariter illos qui non resident in diocesi pro qua sunt deputati, & Ordinarium certiorare debere Sac. Congr. de dicta non presidentia, ejusque provisionem expectare.

Generaliter vero Subcollectoribus exemptionem ab Ordinario in civilibus non suffragari, nisi adesset in diocesi, Index à Nuntio deputatus, qui habeat tantummodo facultatem in causis passivis, & nullo privilegio, aut exemptione gaudeat.

Quod vero attinet ad Substitutos, & Officiales Subcollectorum, declaravit, dd. substitutos non gaudere exemptione, illam tantum concedendam esse uni tantum Notario pro quolibet Subcollectore in actu exercitii, & quoad Commissarios super illicitis negotiationibus, aut ad alias causas spoliatores non gaudere exemptione, nisi in actu exercitii, & utam Commissarios hujusmodi quàm Subcollectores, quando procedunt contra denunciatos, vel alios inquisitos de illicitis negotiationibus, si ex processu informativo constat de eorum innocentia, non posse illos cogere ad expensas ejusdem processus, & decreti absolutorii.

Et quod majoris momenti est, ne prætextu hujusmodi officii curam animarum, servitium ecclesie, ac divini cultus, morumque honestas detrimentum patiantur, declaravit, Parochos in Subcollectores, aut Commissarios ad quascumque causas particulares non posse deputandos, sicuti nec Penitentiarium, nec Theologum. Quod si post deputationem de aliqua parochiali, aut penitentiali, vel theologali præbendis fuerint fortasse provisus, tunc minime gaudere exemptione in concernentibus curam animarum, & respectu adimplementum onerum ipsarum præbendarum, & eadem ratione non gaudere Canonicos, & alios beneficiatos Subcollectores in concernentibus servitium ecclesie, & adimplementum onerum ipsorum canonicatum, & beneficiorum, nec lucrari distributiones quotidianas, si non inseriant. Insuper teneri ratione beneficiorum, quæ obtinent, ad publicas processiones accedere, solvere cathedralium, & subsidium caritativum, & interesse synodo, ac visitationi, non tamen pluries, quàm semel in anno. Posse vero solummodo cogi ab Ordinario ad exequendam visitationem in illis, quæ respiciunt cultum divinum, ipsumque Ordinarium posse procedere contra Subcollectores accedentes sine ejus licentia ad monasteria Monialium, aut non servantes præceptum Communionis Paschalis, & contra percutientes Presbyterum, vel Clericum posse procedere ad declaratoria excommunicationis. ex c.

Si quis suadente, & si quando reperiret aliquem subcollectorem in publico concubinarum vivere, certiorare debere eandem Sac. Congr. ac ipsum Nuntium, cuius partes erunt severe eos punire, ac privare officio. Posse tamen eundem Ordinarium carceribus mancipare ad Superiorum dispositionem retinendos, subcollectores deprehensos in fragranti crimine, quod meretur poenam corporalem, non tamen minorem carcerationem, dummodo statim de carceratione Nuntium certioraret.

Item administratores locorum piorum in subcollectoribus deputatos subesse Ordinario quoad redditionem rationum administrationis: nec posse subcollectores à casibus Episcopo reservatis absolvi absque illius licentia, & nullum inquisitum posse à Nuntio in subcollectorem deputari, nisi de ejus absolutione consulerit.

Ut autem sciant Ordinarii quos in subcollectores aut commissarios debeant recognoscere, declaravit, subcollectores teneri ostendere Ordinariis suas commissiones, antequam illas exequantur: Commissarios

vero particulares teneri, vel per literas patentes, vel privatas sui Superioris, aut alio modo certiorare Ordinarium de demandata jurisdictione.

Demum quatenus supradictæ declarationes, vel alique illarum futuris temporibus non observentur, Sacra Congregatio voluit, incumbere locorum Ordinariis, ut pro eorum zelo, & pastoralis sollicitudine quæcumque secus audierint, huic S. Sedi fideliter referant pro opportuna provisione obtinenda.

Et die 16. ejusdem facta de præmissis omnibus relatione eidem Sanctissimo D. N. Innocentio XI. Sanctitas sua declaravit, præcitatam constitutionem felice. Urbani VIII. esse intelligendam juxta prædictam Sac. Congr. sententiam, & præsens decretum, omniaque, & singula in eo contenta approbavit, & confirmavit, inconcusse, ac inviolabiliter observari, & exequi mandavit, salva tamen semper ejusdem Sac. Congregat. auctoritate omniaque, & singula præfata de declarandi, movendi, & ampliandi, & in totum, vel in parte annullandi, & interpretandi.

Voluit tamen Sanctitas sua, quod præsentis decreto, restricto ad Collectores, & Subcollectores spoliatorum regni Neapolitani, pro Nuntium Apostolicum deputatos, sive deputandos, derogatum, sive præjudicatum minime censetur reservationibus, & affectionibus beneficiorum eorumdem Collectorum, & Subcollectorum resultantibus ex Regulis Cancellariæ Apostolicæ.

Ita reperitur in regesto S. C. C. & in fidem &c.

Prosper. Archiep. Theodosiæ Secr.

Sequuntur aliquæ supra relati decreti declarationes, seu additiones, emanatæ à Congregatione particulari, deputata in Concilio Romano à SS. D. N. sub die 23. Maii 1725.

Primo: quod in hac parte, scilicet in §. Et quod majoris momenti, in quo decretum ejusdem Congregationis Concilii loquitur de Subcollectoribus, qui obtinuerunt postmodum parochias, vel præbendam theologalem, seu Penitentialem, amplius decretum ipsum, & eidem addatur, prout nova hæc declaratio additur, quod tunc Subcollectorum officia illico cessent, & Thesaurarius, vel Nuntius Apostolicus alium deputare teneatur.

Secundo. Non posse Thesaurarium Generalem, & Nuntios in quacumque diocesi, etiam extra statum ecclesiasticum, literas patentes Subcollectoribus in futurum concedere, nisi eis attestatio exhibeatur curie episcopalis, in qua de ipsorum bona vita, & moribus, ac eisdem nec inquisitos, nec processatos esse, testimonium feratur; quam attestacionem Thesaurarius & Nuntius in actis conservare teneantur, aliis patentes literæ, quæcumque alio modo concessæ, & expeditæ, nullæ sint, & invalidæ, ita ut contra istas procedere possit Episcopus Ordinarius.

F. A. Archiep. Episc. Abellinæ. & Frequentinæ. Concil. Secret.

Subcollector non nisi unus pro quolibet diocesi deputari potest, & si plures deputentur, quamvis unus dicatur deputatus pro diocesi, alter pro loco exempto intra diocesim existente, hic postremus nulla gaudet exemptione. Cum enim in diocesi Bituntina tres olim reperirentur subcollectores, unus videlicet pro ipsa civitate, & diocesi Bituntina, alter pro Abbazia Nullius Fasani, & tertius pro loco Nullius Rutiliani, & Episcopus Bituntinus die 4. Maii 1697. Sac. Congr. Concil. quævisset, An Subcollectores deputati pro jurisdictione Fasani, & Rutiliani, & commorantes Bituntini, alia in dicto loco gauderent exemptione? Responsum fuit, Non gaudere, & Episcopus procedere posse in futurum, ut habetur lib. 47. Decret. fol. 185. Atque Episcopo Caputaquensi similem quæstionem proponenti in Congregatione habita die 14. Martii 1722. rescriptum fuit, ut servaretur prædictum decretum in Bituntina. Sic Benedictus XIV. qui tunc temporis erat Secretarius ejusdem Congregationis, de Synodo Diocesana lib. 3. cap. 3.

Attentis, quæ sursum referuntur (1) Sub-Collectoris facultas hisce dominiis exolevit. (1) Vide verb. Spolium.

Attentis, quæ sursum referuntur (1) Sub-Collectoris facultas hisce dominiis exolevit. (1) Vide verb. Spolium.

Attentis, quæ sursum referuntur (1) Sub-Collectoris facultas hisce dominiis exolevit. (1) Vide verb. Spolium.

Attentis, quæ sursum referuntur (1) Sub-Collectoris facultas hisce dominiis exolevit. (1) Vide verb. Spolium.

Attentis, quæ sursum referuntur (1) Sub-Collectoris facultas hisce dominiis exolevit. (1) Vide verb. Spolium.

Attentis, quæ sursum referuntur (1) Sub-Collectoris facultas hisce dominiis exolevit. (1) Vide verb. Spolium.

Attentis, quæ sursum referuntur (1) Sub-Collectoris facultas hisce dominiis exolevit. (1) Vide verb. Spolium.

7. & reperitur in tit. 2. Thest. Resolution. dicti anni.

Subcollectores tenentur interesse synodo diocesana, processionibus, & visitationi, ac solvere cathedralium, & subsidium charitativum. Sacra Congreg. Concil. 21. Martii 1614. & 27. Februarii 1677. in supra allato decreto approbato ab Innocentio XI. Non adnumerantur Sedis Apostolicæ Officialibus, de quibus loquitur Textus in cap. Mathæus de hæreticis, & in cap. Divina in eminenti, de privilegiis, inter Extravagant. Commun. Sic expresse declaravit Sac. Congr. Conc. die 26. Maji 1682. quæ ad dubium. An subcollectores spoliatorum pro R. Camera Apostolica recenseri debeant inter Officiales, de quibus loquuntur ipsæ Extravagantes ad effectum præmissum? Respondit Negative, & die 20. Junii ejusdem anni, persistit in decisio, sicuti etiam respondit de Prototonariis non participantibus. Veri enim Officiales Sedis Apostolicæ, de quibus loquuntur citati textus, alioris sunt gradus, atque ad graviora procuranda negotia destinati, ut scite dicit Benedictus XIV. aliis allegatis loc. cit. num. 8.

Deputantur Subcollectores spoliatorum, vel à Nuntio Apostolico, ut ex const. Greg. XIII. in ord. la 25. tit. 2. & Urb. VIII. la 147. tit. 4. vel à Cardinali Camerario, & à Thesaurario Generali, juxta constit. ejusdem Urbani la 160. §. 9. tit. 5. & Alexand. VIII. la 190. §. 11. tit. 7.

In subcollectores autem non possunt deputari, nisi illi qui de legitimo matrimonio nati sunt, ut rescripsit S. Congr. Conc. interpres in Bituntina 4. Maji 1697. SUBDIACONATUS. Vide verb. Ordo art. 1. à n. 40. ad 42.

SUBORNATIO. Vide verb. Poena art. 2. num. 20. & 109.

SUBREPTIO. Vide verb. Rescriptum à num. 27. ad num. 33.

SUBSIDIUM CHARITATIVUM.

SUMMARIUM.

- Subsidium charitativum quare sic appelletur.
- Subsidium charitativum quid sit.
- Subsidium charitativum ex manifesta, & rationabili causa præter Papam possunt in suis diocesis exigere Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, &c.
- Subsidium charitativum exigere potest Episcopus electus, & confirmatus, licet nondum consecratus.
- Administrator, seu Coadjutor datus Episcopo per Papam, vel Ecclesie cathedrali vacanti, potest à subditis illius ecclesie exigere charitativum subsidium.
- Capitulum, Sede episcopali vacante, potest exigere charitativum subsidium.
- Cardinales illud exigere possunt in ecclesiis suorum Titulorum.
- Legatus Papa illud exigere potest ad ecclesiis provincie sibi delegata.
- Generalis totius Ordinis Regularis potest illud exigere à monasteriis sui Ordinis pro sumptibus necessariis ad gubernationem Ordinis, si aliunde non habeat bona sufficientia ad id destinata.
- Commendatarius perpetuus ecclesie cathedralis potest illud exigere ad ecclesiis subiectis.
- Prelati Episcopo inferiores an illud exigere possint.
- Vicarius Generalis Episcopi illud exigere nequit, nisi de speciali mandato Episcopi.
- Patriarchæ, Primates, & Archiepiscopi nequeunt illud exigere in diocesis suorum suffraganeorum, nisi id eis alicubi competeret ex legitima consuetudine.
- Episcopi, alique supradicti possunt etiam per censuram compelli ad illud sibi præstandum Clericos renuentes.

Ad hoc ut Episcopus, vel alius possit illud exigere, debet intervenire manifesta, & rationabilis causa necessitatis.

Quæ dicitur manifesta, & rationabilis causa necessitatis, relinquatur arbitrio Episcopi una cum consensu, vel saltem consilio Capituli, quod Episcopus tenetur requirere.

Quid agendum? Si dubium, & controversia sit inter Capitulum, & Episcopum an subsit sufficiens causa illud exigendi, vel quantitas petita sit nimia, & excessiva.

Assignantur in specie rationabiles, & manifesta cause sufficientes ad illud exigendum.

Predicte tamen cause sunt solummodo sufficientes in casu, quo Episcopi redditus ad satisfaciendum eis non sufficiunt.

Episcopus enim, qui habet congruum pinguem, quæ excedat taxam à Concilio præscriptam, non potest illud exigere.

Quantitas subsidii charitativi cum non sit à jure definita, determinari potest, & debet ab Episcopo cum consilio Capituli juxta exigentiam circumstantiarum necessitatis, expensarum, reddituum, & hujusmodi.

Debet tamen ab Episcopo semper taxari, & exigi subsidium moderatum.

Hodie tamen debet servari taxa solita exigi à quadraginta annis retro.

Et ad Subsidii contributionem majorem solito nullus cogi debet.

Nec subsidium charitativum debet excedere expensas factas in Bullis expediendis.

De jure communi non tantum semel, sed etiam pluries potest illud exigi.

Jure tamen novo Taxa Innocentiana exigi potest solum unica vice in primo ingressu Episcopi.

Nec potest exigi, ubi id non est solitum.

Ad solvendum subsidium charitativum tenentur soli Clerici Beneficiati, & nomine Clerici benefici carentes, & laici.

Afferunt, & solvunt instantia.

Ad illud solvendum tenentur non solum simplices Clerici Beneficiati, sed etiam Canonici omnes etiam Cathedralis.

Non tenentur tamen Canonici solvere tale subsidium de distributionibus quotidianis, & de oblationibus, & mortuoriis.

Hospitalia, si titulum Beneficii habeant, aut fundata sint auctoritate Ordinarii, quamvis non habeant titulum beneficii, tenentur illud solvere.

Monasteria, & eorum ecclesie Regularæ non tenentur solvere subsidium charitativum.

A Monialibus non potest Episcopus aliquid subsidii charitativi nomine exigere, aut recipere.

Tenentur tamen monasteria Regularia illud solvere ratione Secularium, si quas tales habent.

Clerici Beneficiati pauperes non tenentur illud solvere.

Fratres S. Joannis Hierosolymitanis, sive eorum Vicarii non tenentur illud solvere.

Cardinales non tenentur illud solvere pro suis beneficiis.

Tenentur tamen illud solvere eorum Familiares, & alii Curiales, etiam Papæ Familiares, nisi aliter sit legitima consuetudine introductum.

Successor in beneficiis compelli potest ad solvendum illud quod ejus antecessor non solvit.

Clericus Beneficiatus habitans in una diocesi, & habens beneficium in alia, tenetur illud solvere soli illi Episcopo, in cujus diocesi habet beneficium.

Et si beneficium, seu ecclesia Beneficiatis sita sit in una diocesi, & habeat prædia, seu redditus in alia, tenetur illud solvere Episcopo diocesis sue ecclesie. Quid,

Attentis, quæ sursum referuntur (1) Sub-Collectoris facultas hisce dominiis exolevit.

(1) Vide verb. Spolium.

- 44 Quid, si ecclesia sit in confinio duarum diocesium, & dubium sit, cui Episcopo competant jura episcopalia, & collatio in dicta ecclesia.
- 45 Pensionarius. & Rector beneficii quomodo, quando, & ubi illud solvere debeant.
- 46 Ecclesia pleno jure exempta non tenetur illud solvere; Limitatur tamen conclusio in duobus casibus, qui assignantur.
- 47 Subnectuntur Supplementa Auctoris, ad n. 50.
- 51 Addit. inseruntur.

Subsidium charitativum, id est, *charitatis auxilium* sic appellatur, quia à principio ex charitate peti debet, & non violentor extorqueri; *arg. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii. & cap. Cum Apostolus 6. & cap. Ex parte 16. de censib.* Et dicitur subsidium peti debet, nempe quando facultates Episcopi non sufficiunt ad satisfacienda onera, ad exemplum subsidiariae actionis, ideo sic dicitur, quia datur, quando deficit propria, & specialis actio, ut in §. final. *Institur. Ad Legem Aquil. & in §. final. ubi Glossa Institutur. de Interdict. Bellencinus tract. De charitativo Subsidio quest. 14. Barbosa de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 87. n. 2. Ventriglia Prax. rer. notabil. part. 2. adnot. 25. §. 1. num. 2. & alii passim. (Consonat cum dict. §. fin. lex 8. 20. & 21. tit. 15. p. 7. Vid. eas lit. R. pag. 159. col. 1.)*

2 Subsidium charitativum igitur est exactio, seu pensio extraordinaria, quam Praelati ecclesiastici, & praesertim Episcopi exigunt manifeste, & rationabili causa à suis subditis in subsidium exigunt; *Sic in re Communis, atque desumitur ex c. Cum Apostolus 6. de Censibus, §. Prohibemus: ibi: "Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quae aliquoties superveniunt, ut si manifesta, ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare."*

3 Charitativum subsidium ex manifesta, & rationabili causa, praeter Summum Pontificem, de quo nemo dubitat, possunt in suis diocesis exigere Episcopi, ac ipsi superiores, ut Archiepiscopi, Primates, Patriarchae &c. *Communis arg. capit. Conquerente 16. ad finem de Offic. Ordinarii. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus de censibus.*

4 Charitativum subsidium exigere potest Episcopus electus, & confirmatus, licet nondum consecratus, *arg. cit. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii: Hoc enim est Jurisdictionis, & non Ordinis; Bellencinus loc. cit. q. 9. Barbosa loc. cit. num. 8. Azorius Institutur. moral. part. 2. lib. 12. c. 14. quest. 5. & alii.*

5 Administrator, seu Coadjutor datus Episcopo per Papam, vel ecclesiae cathedrali vacanti, potest à subditis illius ecclesiae exigere charitativum subsidium, per textum in *cap. Is cui, de elect. in 6. & c. ultim. in fine, de supplicia negligentia Praelat. Bellencinus loc. cit. quest. 8. Barbosa loc. cit. num. 10. Ventriglia loc. cit. num. 22.*

6 Capitulum, Sede episcopali vacante, potest charitativum subsidium exigere; *Glossa verb. Aliunde in cap. Punitentes §. Ad haec, de electione in 6. ubi Joan. Monachus, & Archidiaconus, Bellencinus loc. cit. q. 7. Azorius loc. cit. quest. 5. verb. Item Collegium; Barbosa loc. cit. num. 13. Bellet. Disquisit. Cleric. part. 1. tit. de Clerico debitore §. 12. num. 38. Ventriglia loc. cit. numer. 31. & alii.*

7 Cardinales in ecclesiis suorum titulorum charitativum subsidium exigere possunt: Ipsi enim in ecclesiis suorum titulorum Jurisdictionem habent de Jure communi, & episcopalia Jura obtinent; *cap. Querelam, de electione. Et sic tenent Joan. Monachus in cap. 1. de Majorib. & obedient. Diana p. 5. tract. 2. de potest. & privileg. S. R. E. Card. rer. 55. Bellencinus loc. cit. q. 3. Ventriglia loc. cit. n. 20. Azorius loc. cit. q. 5. vers. Quærens: Barb. loc. cit. n. 15. & alii ibi allegati.*

8 Legatus Papæ habet Jus exigendi charitativum subsidium ab ecclesiis provinciae sibi delegate; ipse enim in provincia sibi delegata omnia Jure, & immediate potest, quæ quilibet Ordinarius Jure, seu consuetudine potest in sua diocesi; adeoque sicuti Episcopus in sua diocesi,

potest ipse in sua provincia charitativum subsidium exigere; *Bellencinus loc. cit. quest. 12. Azorius l. c. q. 5. §. Sed quid dicendum: Barbosa loc. cit. n. 16.*

9 Generalis totius Ordinis Regularis potest exigere subsidium charitativum à monasteriis sui Ordinis, si aliunde non habeat bona sufficientia ad hoc destinata; *Barbosa loc. cit. num. 19. Tambur. de Jur. Abbat. tom. 3. disp. 10. quest. 2. num. 2. Ventriglia loc. cit. num. 25. & alii.*

10 Commendatarius perpetuus ecclesiae cathedralis potest exigere charitativum subsidium ab ecclesiis sibi subiectis. *Sic Bellencinus loc. cit. quest. 6. Azorius loc. cit. q. 5. verb. Commendatarius: Barbosa loc. cit. num. 21. & alii. Et ratio est, quia ipse habet legitimam administrationem, & potest exercere jurisdictionem, quæ competet Episcopo titulo, ut tenent Archidiaconus in cap. Nemo delincept, de electione in 6. Innocentius in cap. Si constitit, de accusat. Card. in Clementina ultim. de Procuratoribus q. 12.*

11 Praelati Episcopo inferiores, quamvis habeant territorium separatim, & Jura episcopalia; de Jure non debent, nec possunt exigere charitativum subsidium. *Sic censuise Sacram Congreg. Episcopi, in una Nullius Altamuræ 14. Maji 1697. retort Monacell. part. 1. tit. 1. form. 1. n. 42. Quod autem Praelati, seu Abbates habentes territorium, & diocesim, & quibus subsunt ecclesiae pleno Jure, possunt charitativum subsidium exigere, tenent Ventriglia loc. cit. num. 24. Meroll. theolog. moral. part. 3. disp. 7. cap. 5. dub. 21. num. 400. & seq. & videtur id tenere Barbosa loc. cit. num. 18. Monacell. loc. cit. dicens in Indicis: Nisi habeant territorium separatim, & Jura episcopalia, & alii: Quia, ut dicunt, ipsi habent vere proprium territorium, & diocesim, & Jura episcopalia; adeoque possunt ab ecclesiis sibi pleno Jure subiectis aequè ac Episcopi, & alii supradicti charitativum subsidium exigere.*

12 Vicarius Generalis Episcopi non potest charitativum subsidium exigere, nisi de speciali mandato ipsius Episcopi. *Hoc enim nullo Jure reperitur illi concessum, adeoque in generali commissione, & mandato sibi ab Episcopo tradito non continentur. Bellencinus loc. citat. quest. 21. Azorius loc. cit. cap. 14. quest. 5. verb. Vicarius, Barbosa loc. cit. num. 12. Ventriglia loc. cit. n. 23. & alii passim.*

13 Patriarchae, Primates, & Archiepiscopi sine dubio exigere possunt charitativum subsidium in suis respective diocesis, ex dictis supra num. 2. Illud tamen exigere non possunt in diocesis suorum Suffraganeorum, nisi alicubi eis competeret ex legitima consuetudine; nullibi enim in Jure reperitur id eis concessum. *Barbosa loc. cit. num. 9. Bellencinus loc. cit. quest. 1. Azorius loc. cit. quest. 5. vers. Sed dubie questionis, Pithing. l. 3. Decret. tit. 39. num. 14. Reiffenstuel ibid. num. 20. & alii passim. Episcopi, alique supradicti, quibus competit Jus exigendi charitativum subsidium, possunt ad illud solvendum compellere, & cogere etiam per censuras Clericos id dare nolentes, seu recusantes. Sic Joann. Andreas in cap. Cum Apostolus 6. de Censibus num. 7. & ibid. Innocentius, Hostiensis, Butrius, Abbas, & alii, Bellencinus loc. cit. quest. 15. Layman lib. 3. trat. 3. p. 1. c. 3. §. unic. de subsidio charitativo num. 9. Azorius loc. cit. num. 3. Reiffenstuel loc. cit. n. 21. Bellet. Disquisit. Cleric. p. 1. tit. de Clerico debitore §. 12. numer. 25. Alexander de Nevo cons. 58. num. 5. Barbosa loc. cit. num. 3. allegans alios, & Rotam in noviss. decret. 425. alias 23. quæ incipit: Item extra Rotam petebatur consilium: & sic tenent etiam alii plures, arg. cap. Cum Apostolus 6. de Censibus, c. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii, & Clement. Frequens, de excessibus Praelatorum.*

14 Ad hoc autem, ut Episcopus, vel alius possit subsidium charitativum exigere, debet intervenire manifesta, & rationabilis causa necessitatis. *Communis, textu expresso in cit. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii, ibi: Si manifesta, & rationabilis causa extiterit, & cit. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus, de Censibus, ibi: "Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare, ubi insuper hæc*

»Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit."

16 Quenam vero dicatur manifesta, & rationabilis causa necessitatis, ut Episcopus possit exigere subsidium charitativum, relinquatur arbitrio ipsius Episcopi una cum consensu, vel saltem consilio Capituli, quod Episcopus requirere tenetur, ut docent Joann. Andreas in cit. cap. Cum Apostolus 6. de Censibus n. 7. & ibid. Butrius, Innocent. Hostiens. Bellet. l. c. n. 8. Bellencinus l. c. q. 10. Ventriglia l. c. n. 6. Barbosa l. c. num. 26. Reiffenstuel l. c. n. 34. Pignatell. tom. 9. consulti. 142. n. 6. & alii, per text. in cap. Novit. 4. & cap. Quanto 5. de his, quæ fiunt à Praelat.

17 Si autem dubium, & controversia sit inter Capitulum, & Episcopum, an adsit sufficiens causa subsidium charitativum exigendi, vel quantitas petita sit nimia, & excessiva? tunc vel de consensu partium eligendi sunt arbitri, vel recurrendum est ad Superiorem. *Sic Bellencinus l. c. q. 17. Azorius l. c. q. 4. §. In dubium vocatur, Layman l. c. n. 9. Pithing. l. c. num. 55. Barbosa loc. c. num. 28. Reiffenstuel l. c. n. 36. & alii cum Glossa in cap. Cum Apostolus 6. de Censibus verb. Rationabilis, arg. cap. Si Clericus 46. caus. 11. q. 2. Et ratio est, quia tunc solum potest Episcopus ipse compellere, & cogere Clericos nolentes, & recusantes dare subsidium charitativum, quando causa manifesta est, arg. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii, & cit. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus, de Censibus. Non autem quando causa est dubia, vel controversa, ut recte notant citati Doctores, & alii.*

18 In specie tamen sufficienter rationabiles, & manifeste pro exigendo subsidio charitativo censentur à Doctoribus potissimum causæ sequentes. I. Expensæ necessariæ pro promotione, confirmatione, & consecratione ipsius Episcopi. II. Expensæ necessariae pro solvendis debitis ab ipso, vel suo Antecessore contractis pro bono communi, aut necessitate ecclesiae. III. Expensæ necessariae ad visitanda Limina Apostolorum. IV. Expensæ necessariae pro itinere ad Concilium Generale, vel Provinciale, ad Papam, Imperatorem, vel Regem ob bonum commune diocesis, vel ecclesiae universalis. V. Expensæ necessariae pro Adventu Imperatoris, Regis, aut magni Principis, praesertim si Episcopus ab eo habeat Regalia. VI. Expensæ necessariae pro tuendis, seu recuperandis Juribus, actionibus, ac bonis ecclesiae cathedralis, seu pro bono communi totius diocesis. *Sic Reiffenstuel l. c. n. 30. Ventriglia l. c. d. n. 9. Barbosa l. c. d. n. 29. cum multis apud ipsos, & alii passim.*

19 Qui tamen communiter notant prædictas causas esse solummodo sufficientes in casu, quo Episcopi redditus ad satisfaciendum eis non sufficiunt, quia si Episcopi redditus in casibus prædictis sufficientes abest subsidio charitativo, illud exigere nequaquam potest, cum deficit necessitatis ratio, utpote conditio necessario requisita, cit. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus, de Censibus. Et quod Episcopus, qui habet congruum pinguem, quæ excedat taxam à Concilio præscriptam, illud non possit exigere, expresse respondit S. C. C. in Gerund. 17. Februarii. 1663. & S. C. Episc. in Polycassi. 19. April. 1697. referente cl. mem. Card. Petrucci apud Monacell. tom. 1. tit. 1. form. 1. n. 37.

21 Quantitas subsidii charitativi, cum non sit in Jure definita, determinari potest, & debet ab Episcopo cum consilio Capituli; ex dictis supra num. 16. juxta exigentiam circumstantiarum, necessitatis, expensarum, reddituum, & hujusmodi. *Menoch. de Arbitrar. Judic. cap. 179. num. 4. Pignatell. l. c. num. 12. Barbosa l. c. num. 37. Bellet. loc. cit. num. 14. Reiffenstuel loc. cit. num. 32. & alii communiter, argum. leg. In fundo 30. ff. De rei vindicatio. Debet tamen ab Episcopo semper taxari, & exigi subsidium moderatum, ut tradunt communiter Doctores, per text. in cit. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii, ibi: Non amplius ab eis exigatur præter moderatum ausilium, & cit. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus, de Censibus, ibi: Cum charitate moderatum valeant auxilium postulare, ubi insuper hæc*

subjungitur ratio: "Cum enim dicat Apostolus: Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis, multum longe à paterna pietate videtur, si Praepositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris debent more fovere." *Hodie tamen debet servari taxa solita exigi à quadraginta annis retro ex dispositione taxæ Innocentianæ per ejus verba relata infra num. 27. Et quod nec possit exigi major solito, jam declaraverat S. C. Episc. 17. Januarii. 1589. apud Barbosa in Summa Apost. decr. verb. Subsidium num. 2. Et etiam quod non debeat excedere expensæ factas in Bullis expediendis: Sac. Cong. Episcop. 24. Maji 1583. apud eundem ib. num. 1.*

26 De Jure communi non tantum semel, sed etiam pluries, & quidem quoties juxta prædicta existit rationabilis, & manifesta causa, & redditus non sufficienti, potest Episcopus subsidium charitativum exigere. *Communis, textu expresso in cit. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus, de censibus, ibi: Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt.*

27 Jure tamen novo Taxæ Innocentianæ per viam legis universalis saltem in Italia promulgata, exigi potest solum unica vice in primo ingressu Episcopi, ut expresse ipsa taxa disponit, ibi: "Il subsidio charitativo in quelle diocesi, nelle quali sia solito d' essersi, è non altrimenti, si esiga solamente per una sola volta nel primo ingresso del Vescovo secondo la Tassa solita antica di 40. anni in dietro." *Unde charitativum subsidium non potest exigi ab Episcopo, ubi non est solum exigi, ut patet ex dictis Taxæ Innocentianæ expressis verbis: In quelle diocesi, nelle quali sia solito d' essersi, è non altrimenti. Monacell. loc. cit. num. 39. & alii passim.*

29 Ad solvendum subsidium charitativum tenentur soli Clerici Beneficiati, & minime Clerici beneficio carentes, & laici. *Communis, arg. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii. Et ratio est clara, quia tale subsidium est onus mixtum adhaerens personis ecclesiasticis in ordine ad ecclesias, & beneficia, ex quibus redditus percipiunt.*

30 Nec obstat, quod in cap. Cum Apostolus 6. de Censibus, concedatur Episcopis exigere tale subsidium universaliter à subditis, quorum nomine veniunt etiam laici, & Clerici beneficio carentes: Non obstat, inquam, quia ibi per subditos intelliguntur soli Clerici Beneficiati, prout communiter advertunt Doctores, ne dictum cap. Cum Apostolus discordet cum cit. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii, & c. Quia cognovimus 6. caus. 10. q. 3. in quibus à solis Clericis Beneficiatis, seu ab ecclesiis ratione beneficiorum conceditur posse tale subsidium exigi.

31 Ad solvendum subsidium charitativum tenentur non solum simplices Clerici Beneficiati, sed etiam Canonici omnes, etiam Cathedralis. *Communis, arg. cit. cap. Conquerente, & Extravagant. 1. §. Præmiss. de Censibus, ibi: Eorumque Capitulis. Non tenentur tamen Canonici solvere tale subsidium de distributionibus quotidianis, & de oblationibus, & mortuoribus, quia hæc non veniunt nomine fructuum beneficiorum, & de quibus solis fructibus solvitur Subsidium charitativum; Bellencinus loc. cit. quest. 76. Gutierrez ad Regul. 8. Cancellar. §. 7. Proem. num. 174. Riccius in præx. part. 3. res. 90. per tot. Barbosa loc. cit. n. 44. Ventriglia loc. cit. n. 32. & alii passim.*

33 Hospitalia causa communi pietatis fundata, si titulum beneficii habeant, aut si fundata sint Episcopi auctoritate, quamvis titulum beneficii non habeant, tenentur solvere subsidium charitativum, quia cum sint loca religiosa, & sacra, sicuti alia ecclesiae, uti ab istis, ita ab illis potest Episcopus charitativum subsidium exigere. *Barbosa loc. cit. n. 55. Azorius loc. cit. q. 6. vers. Si roges, Bellencinus l. c. q. 38. Meroll. loc. cit. c. 5. n. 477. Ventriglia loc. cit. n. 33. & alii.*

34 Monasteria, & eorum ecclesiae Regulares non tenentur solvere subsidium charitativum. *Joan. Andreas, Butrius, & Imola in cap. Dilectus, de Offic. Ordinarii, Ggg 2 Bel-*

Bellencin. loc. cit. q. 20. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 39. n. 56. Engel. ibid. n. 10. Reiffenstuel. ib. n. 27. Sannig. ib. c. 2. n. 3. Barbosa. l. c. n. 45. & plurimi alii contra alios. Et ratio est, quia subsidium charitativum debetur lege diocesana; monasteria autem, & ecclesie Regulares sunt exemptæ à lege diocesana, arg. cap. Cum pro utilitate 34. caus. 16. q. 1. cap. Quam si 5. caus. 18. q. 2. & cap. 1. de statu Monachorum, adeoque &c.

35 Et quod Episcopus charitativi subsidii nomine non possit à Monialibus quidquam nedum exigere, sed nec recipere à sponte dantibus, sub penis tam dantibus, quam accipientibus arbitrio Sacrae Congregationis, expressè decrevit Sacra Congregatio Episcoporum 2. Martii 1635. apud Pitonium constit. Pontific. & decis. ad Episcopos num. 984.

36 Tenentur tamen monasteria regularia subsidium charitativum solvere ratione ecclesiarum secularium sibi subjectarum, si tales habent. Communis. Et ratio est, quia quædam secularia, antequam subicerentur monasterio Regulari, solvere consueverant Episcopo tale subsidium charitativum, adeoque censentur unita monasterio cum suo onere, cum quo transit res, c. Pastoralis, de Decimis, c. Quia monasterium, de Religiosis Domibus: Nisi monasterium ad id obtinuerit expressum speciale Apostolicum privilegium. (Ad rem lex 53. tit. 6. p. 1. Vid. lit. B pag. 411. in add. hisp. vers. Si fundum.)

37 Subsidium charitativum solvere non tenentur Clerici Beneficiati pauperes. Sic Hostiensis, Imola, Butrius in cit. c. Conquerente 16. de Offic. Ordinar. Reiffenstuel. loc. cit. n. 26. Barbosa loc. cit. n. 49. Bellencin. l. c. q. 10. Bellet. l. c. n. 19. & seq. Azorius l. c. cap. 14. quest. 6. Ventriglia l. c. n. 39. & alii, arg. cap. Licet 4. de Censibus: Illi autem juxta citatos Doctores censentur Clerici Beneficiati pauperes, qui vix necessariam sustentationem, & nil ultra habent ex redditibus beneficii.

38 Fratres Sancti Joannis Hierosolymitani, sive eorum Vicarii in parochialibus Religionis prædictæ unitis, non tenentur solvere subsidium charitativum. Sacra Cong. Conc. in una Augustana 4. Decembris 1630. Sic ex Bonfadini & Barbosa refert Ventriglia loc. cit. n. 36.

39 Cardinales non tenentur solvere subsidium charitativum pro beneficiis, quæ possident. Bellet. loc. cit. num. 25. Ventriglia loc. cit. num. 37. Roman. consil. 498. num. 1. & seq. Cephal. consil. 2. num. 10. volum. 1.

40 Familiares autem Cardinalium, nec non alii Curiales, etiam Papæ Familiares, quamvis multas habeant immunitates, & exemptiones, tamen non reperiuntur specialiter exempti à solutione Subsidii Charitativi, adeoque, nisi aliter sit legitima consuetudine introductum, ad illud tenentur. Bellet. loc. cit. n. 26. & seq. Ventriglia loc. cit. num. 38. & alii.

41 Successor in beneficio compelli potest ad solvendum Subsidium charitativum, quod ejus prædecessor non solvit; Barbosa loc. cit. n. 38. Meroll. loc. cit. num. 495. Ventriglia loc. cit. num. 31. & alii advertentes, quod licet possit Episcopus agere contra quem velit, sive Successorem, sive antecessorem, si adhuc vivus sit, vel ejus heredem, si jam sit mortuus, ad hanc solutionem; tamen ex æquitate debet illud exigere ab utroque pro rata fructuum perceptorum.

42 Clericus Beneficiatus habitans in una diocesi, & habens beneficium in alia, tenetur solvere subsidium charitativum soli illi Episcopo, in cujus diocesi habet beneficium. Sacra Cong. Conc. 2. Dec. 1673. apud Pitonium Const. & decis. ad Episcopos num. 1508.

43 Etsi beneficium, seu ecclesia beneficalis sit sita in una diocesi, & habeat prædia, & redditus in alia, Beneficiatus tenetur solvere subsidium Episcopo diocesis suæ ecclesie, quæ attendi debet tamquam caput; argum. leg. Cum in diversis, ff. de Rel. & tump. funer. (Lit. S. pag. 305. num. 208.) non autem attendenda sunt prædia, quæ sunt accessoria ecclesie, ut in cap. unic. de consec. eccles. vel altar. in 6. Ventriglia loc. cit. n. 28. Barbosa l. c. n. 51. Bellencin. l. c. q. 35. & alii passim.

44 Si ecclesia beneficalis sita sit in confinio duarum diocesium, & dubium sit, cui Episcopo competat jura

episcopalia, & collecta in dicta ecclesia, tunc ambo Episcopi se concordare debent, ut alternis vicibus subsidium exigant; arg. Clement. Plures, de Jurepatronat. Et si inter se convenire renuant, tunc Jure Metropolitanæ poterit eis præcipere, ut conveniant, eo quod talis eorum discordia sit ecclesie damnosa. Bellencin. loc. cit. q. 52. Azorius loc. cit. q. 6. vers. Quid dicendum; Barbosa loc. cit. n. 53. Ventriglia loc. cit. n. 29. & alii.

Pensionarius, & Rector beneficii tenentur ad solvendum Subsidium pro fâta portione; nisi tamen pensio sit ei concessa libera ab omni onere, etiam subsidii charitativi, quia tunc Pensionarius nihil deberet solvere. Et in casu, quo pensio non sit ei concessa libera à tali onere, debet subsidium solvere Episcopo illius diocesis, in qua est beneficium, seu ecclesia, super cujus fructus est imposita pensio, licet ipse Pensionarius sit alterius diocesis. Gigas de Pensionibus q. 28. num. 18. Bellencin. loc. cit. q. 37. Bellet. loc. cit. n. 32. Barbosa loc. cit. n. 52. Ventriglia loc. cit. n. 31. & alii.

Ecclesie pleno jure exemptæ non tenentur præstare Episcopo subsidium charitativum. Bellencin. l. c. q. 32. Azorius loc. cit. q. 6. vers. Item non potest, Cochier. de Jurisd. Ordin. in exemptos p. 4. q. 9. per tot. Barbosa loc. cit. n. 47. Ventriglia loc. cit. n. 34. & alii rectè limitant Conclusionem in duobus casibus. Primo quando ecclesia exempta habet populum non exemptum, quia tunc eo respectu exigi posset tale Subsidium. Secundo quando in concessione privilegii exemptionis appositæ est clausula, quod ecclesia exempta remaneat adhuc cum charitate priori cum suo Episcopo, quia tunc tenentur adhuc ipsi præstare dictum subsidium charitativum.

Addenda sunt sequentia decreta relata cum eruditissima doctrina suo more ab Eminentissimo Cardinali Cavalchino in causa Algar. subsidii charitativi, apud Thesaurum Resolutionum S. C. C. n. 1738. in Gerund. subsidii charitativi, ubi disceptatis hisce dubiis. I. An Episcopi pingues redditus habentes, quia videlicet nedum congrua ipsis juxta formam Sacri Concilii. Trid. assignatam, verum etiam duplicatam, ac longe majorem habent, possint exigere charitativum subsidium à suis diocesanis? II. An Episcopi, quibus pro exigendo charitativo subsidio non obstat sufficientia, sive exuberantia reddituum, possint illud exigere, nulla urgente causa, & inconsultis eorum Capitulis? III. An possint illud exigere à Clericis Beneficiatis, qui licet aliquos redditus habeant non consistentes in distributionibus quotidianis, nihil tamen eis superest ultra honestum victum, immo tales redditus vix sunt sufficientes ad prædictum eorum victum? IV. An, supposito, quod consultis eorum Capitulis, dictum charitativum subsidium exigere valeant, possint illud exigere à suis Clericis Beneficiatis non habitantibus alios redditus, quam distributiones quotidianas? Die 17. Februarii 1663. Rescriptum fuit. Ad I. II. III. Negativo. Ad IV. Explendam naturam harum distributionum ut in lib. 23. Decr. pag. 435.

In qua Algar. subsidii charitativi propositis sequentibus dubiis, I. An Episcopus Algar. poterit à Canonicis Præbendatis cathedralis ecclesie exigere subsidium charitativum, & in qua summa, & quatenus negative? II. An teneatur illud restituere? III. An Episcopus poterit dictum subsidium charitativum exigere non solum à Parochiis, sed etiam à Vicariis perpetuis, & in qua summa? IV. An licuerit prælaudato Episcopo exigere dictum subsidium, tam ab ecclesiis, & confraternitatibus habentibus beneficium unitum, aut alios redditus, quam à confraternitatibus nullum beneficium unitum possidentibus, aut nullos, aut ad summum tenues redditus piis oneribus gravatos habentibus? V. An poterit ab Episcopo confici taxa controversi subsidii charitativi post requisitum, sed non obtentum Capituli consensum, illudque exigi in summa taxata in casu &c. Sacra Congreg. Concil. 2. Augusti 1738. Respondit: Omnia ad Eminentissimum Rezonicum, qui dignetur rem perpendere, auditis partibus, etiam cum facultate agendi pro concordia, & Sacra Congregationi referre.

49 In Marianen. subsidii charitativi proposito dubio: An Episcopo Marianen. debeat subsidium charitativum ex Rectoris di Belvedere, è di Rustino, ut præsentatur spectans ad Monachos Olivetanos, vel potius obstat præsentata exemptio DD. PP. in casu, &c. Sacra Congregatio Concil. die 8. Februarii 1713. distulit propositionem: die vero 11. Martii 1713. Respondit Negativo quoad primam, & Affirmativo quoad secundam partem, & amplius. Sic apud Thesaurum tom. 9. circa finem in dict. Marianen. subsidii Charitativi.

50 Alia vide infra ad verb. Visitatio.

51 Quod ait Auditor num. 14. posse Clericos compelli ad charitativum subsidium, id controversia haud caret. Sunt enim, qui post Innocentium in cap. Quam Apostolus, de Censibus, tenent nunquam Clericos ad subsidium charitativum cogi valere. Non ignoramus vero prævaluisse opinionem affirmativam, sed eam amplectendam vellem ea cum moderatione, quam asserit Ziegler. de Episcop. lib. 3. cap. 27. §. 16. quod scilicet, & justè sint cause ipsam exigendi, & Episcopus redditibus haud abundet.

52 Qui autem plenus de charitativo subsidio instrui cupit, is adeat Gonny in tractatu de Charitat. Subsid. qui quæstiones omnes ad materiam hanc pertinentes examinat. (Vid. tit. 22. par. 1. in quo quidem per primam leg. deciditur, quid est Procuratio, ad eam quis tenetur, cui conferenda: per secundam qua ratione est præstanda, & qualis: signaturarii varii, à quibus potest exigi: omnes Prælati, Episcopi, Archiepiscopi, Cardinalis, Archidiaconus, Archiepiscopus, &c. per tertiam demonstratur, Prælatos tales, & oneribus subditos gravare non posse: ex quarta leg. usque ad 7. inclusive agitur de Archiepiscoporum facultatibus, dum visitationem efficiant Episcopatum in suis provinciis existentium; ex leg. 8. ad 13. de censibus seu tributis, Ecclesiis imponendis sit tractatus, à quo imponenda, ac post impositionem minuenda, seu augeri queant, à Prælati ad executionem qua probari debent, quibusque causis ferri, & distribui: in ceteris usque in finem fit mentio de variis casibus, in quibus Prælati excessus committunt in Subditos suos ecclesiasticos.)

SUCCESSIO AB INTESTATO.

SUMMARIUM.

Quis dicatur decedere intestatus.

- 1 Qui tali succedit, dicitur ab intestato succedere, & heres ab intestato vocatur.
- 2 Quomodo, qui testari non potuit, proprie non sit dicendus intestatus, tamen hic quoque in Jure pro intestato accipitur.
- 3 Et sic etiam, qui tali succedit, dicitur ab intestato succedere, & heres ab intestato appellatur.
- 4 Successio ab intestato quid sit.
- 5 Successio ab intestato est duplex, scilicet in capita, & in stirpes.
- 6 Successio in capita quid sit.
- 7 Successio in stirpes quid sit.
- 8 Succedentium ab intestato quinquè Ordines assignantur.
- 9 Filii naturales simul, & legitimi quomodo succedant.
- 10 Filii legitimi per subsequens Matrimonium succedunt eodem modo, quo legitimi.
- 11 Filii legitimi tantum, id est, adoptivi, etiam eodem modo, quo legitime nati, aequaliter in capita succedunt adoptivi, vel arroganti.
- 12 Filii naturales legitimi per rescriptum supremi Principis aequali Jure, ac si fuissent legitime nati, succedunt ab intestato suis parentibus, si tres concurrant conditiones, quæ assignantur.
- 13 Legitimatio filii naturalis facta per rescriptum supremi Principis tempore, quo nulli existerent filii naturales simul & legitimi, probabilitus non expirat quoad successionem ab intestato, etiamsi postea nascantur patri filii legitimi.

15 Filii naturales, non extantibus aliis ex legitimo Matrimonio natis, neque uxore legitima, succedunt ab intestato patri una cum sua matre in sextante, seu duobus uncis aequaliter inter eos dividendis.

16 Si autem extant filii, aut nepotes legitimi, vel legitima uxor, tunc non succedunt filii naturales patri ab intestato, nec Avo paterno, sed solum debentur illis alimenta ex bonis paternis arbitrio boni viri.

17 Succedunt tamen dicti filii naturales matri etiam illustri, & omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum legitime natæ.

18 Filii spurii, vulgo Quæsiiti nullatenus succedunt patri ab intestato.

19 Succedunt tamen matri non illustri æque ac filii naturales.

20 Matri autem illustri, & habenti filios legitimos non succedunt ab intestato, secus vero si legitimi filii careat.

21 Filii ex damnato coitu nec patri, nec matri ab intestato succedunt, quomodo nulli legitimi filii essent.

22 Filii ex damnato coitu æquiparantur quoad successionem filii, quorum parentes ob crimen læsæ Majestatis sunt condemnati.

23 Qui sint, & dicantur filii legitimi, illegitimi, naturales, spurii, quæsiiti, filii ex damnato coitu, remissive.

24 Nepotes, & Pronepotes succedunt ab intestato Avo, & Avia in stirpes, sive adhuc extant filii dicti Avo, & dictæ Avia, sive non.

25 Deficientibus descendentibus, & fratribus, seu sororibus germanis, succedunt ab intestato soli ascendentes, servata tamen graduum prærogativa, ita ut proximiores gradu excludant remotiores.

26 Moriente filio sine liberis, relicto superstitie patre, & avo materno, matre jam mortua, solus pater succedit excluso penitus avo materno, etiam quoad bona materna, & sic vice versa.

27 Si defunctis patre, & matre, extant plures ascendentes sine fratribus, vel sororibus defuncti, v. g. extant avus, & avia in linea paterna, & simul avus, & avia in linea materna, aut ex parte patris extant solus avus, & ex parte matris avus, & avia, vel vice versa, tunc succedunt defuncto nepoti, aut pronepoti omnes aequaliter, non in capita, sed in stirpes.

28 Quando cum ascendentibus aequalis gradus extant etiam germani fratres, & sorores defuncti, tunc succedunt omnes aequaliter, & in capita.

29 Sorores autem, & fratres solum uterini, vel solum consanguinei excluduntur per ascendentes, nec possunt cum illis succedere hereditati fratris uterini defuncti.

30 Germanorum filii succedunt cum ascendentibus, & fratribus, seu sororibus germanis hereditati alterius prædefuncti germani fratris, aut sororibus non nisi tamen in stirpem.

31 Nepotes autem, seu pronepotes non gaudent hoc privilegio.

32 In iis casibus, in quibus filii naturales, & illegitimi succedunt parentibus, parentes etiam succedunt illis.

33 Deficientibus descendentibus, & ascendentibus, succedunt ab intestato defuncto ejus sanguine juncti collateralales, & quidem aequaliter, & in capita, cum hoc tamen, quod collateralales proximior semper totaliter excludat remotiorem.

34 Quando cum defuncti fratris, & sororibus germanis extant etiam filii alterius fratris, aut sororis germanæ prædefunctæ, tunc etiam isti cum illis succedunt, ita tamen, ut fratres, & sorores succedant in capita, & dicti filii solum in stirpem.

35 Sicuti fratres germani, ita etiam & filii fratrum germanorum excludunt fratres solum uterinos, & solum consanguineos, sublata omni differentia sexus, & emancipationis.

36 Si soli filii diversorum fratrum, vel sororum extant,